

*ecclesia et ecclesiasticis. Sexta de cruce. de tempore paschali. de orationibus. de elemosinis. de militia. de dominis et seruis. de matrimonio. qui apostoli habuerint uxores. Septima de restauratione angelorum et hominum. de diabolo. de anticristo. de ultimo iudicio. de resurrectione. de gehenna. de igne ante iudicium et post. Initium Partis I. Hier. Pater iste familias homo dicitur similitudine non ueritate &c. Partis VII. finis: Nec hoc in episcoporum tantum et sacerdotum. sed in diaconorum ordinationibus obseruasse apostolos. animaduertimus in actibus apostolorum. Et: Scribenti Salus. Legenti Vita Eterna. Amen. Explicit. Quae a fol. 136. p. 2. sequuntur, instar Adpendicis haberi possunt, ordine non magis concinno, quam in ipso Opere. Ita ini-*

tium statim fit a loco *Zachariae suprad. de Dimissione Uxoribus, qui legitur Concord. Evangel. L. III. c. 100. Bibl. Patr. cit. p. 847. Succedit locus Augustini de S. Trinitate &c.*

*Fol. 154. p. 2. rursus legas: De Sacramento Corporis et Sanguinis in Concordia Euangelior. Aug. Zacharias. Excerptum istud incipit: Nunc gratia tanti sacramenti. quod per excellentiam dicitur eucharistia &c. et legitur Concord. cit. L. IV. c. 156. Bibl. Patr. Lugd. p. 914. Succedunt ei diuersa PP. loca, dum concludatur: Omnibus ergo clericis laicis et in diuersis huius mundi dignationibus constitutis sobrietatem cum bonis moribus suademus. Per christum dominum Nostrum. His adjecit Librarius:*

*Scriba petit codicis presentis lector ut omnis*

*Adiuuet hunc precibus uotis deus annuat huius.*

Dixi supra: e *Prologis* non illico Opus istud ad *Zachariam Chrysopol.* referendum esse. Interim non nego ad illum referri posse. Quo casu *Prologos* et *Adpendicem* in hoc *Codice* Posterior quispiam adscripserit, et *Zacharias* ipse Opere augebitur, quod nemo eorum, qui de eo tradidere, novit.

CCCI. VI. 3.

387 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 119. 4. egregie scriptus, rubricisque distinctus

continet Autoris mihi ignoti *Collectedanea e Dictis PP. Conciliorumque Canonibus ad corrigendos*, ut ipse in Praef. ait, *uel ad instruendos mores humanos.* Incipit haec Praefatio: *Hec pauca Beatitudo uestra gratifice queso excipiat deflorata. que non ex uno unius doctoris prato diuinae auctoritatis studii decerpere. sed per multorum patrum florigeram rura cordis et corporis ceruice summissa. studiosè succintim celeriterque ut iussio sanctitatis uestrae extitit cucurri. et ex his vos odoriferos domino largiente. prout potui flores excerpsti.*

*excerpsi. Hancque quadriformem huius uoluminis intexui coronulam &c. Libros uidelicet IV. In altera quasi Praefatione Fontes suos enumerat; dicta nempe Cypriani, Gregorii Nazanzeni, Ambrosii, Iohannis Chrys. Basilii Caesar. Fructuosi terraconensis, Innocentii, Leonis, Coelestini, Symmachi, Gelasii, Gregorii Pontiff. Augustini, Aurelii Carthag. Isidori Hispal. Prosperi, Hieronymi, Cassiani, Bedae, Ferrioli martyr. Columbani, Maximi Taurin. Caesarii Arelat. Effrem diac. aliorumque doctorum. Non contemnenda sane Supellex, et paulo tamen ante haec queritur, Codices quosdam, ubi aliquando ad hoc opus pertinentia reperit testimonia, sibi nunc defuisse. Lapsus interim censeo in Fructuoso, quem Braccarensem scribere debebat pro Tarraconensi. Nihil Martyr hic Sec. III. quem Hymno celebravit Prudentius, Operum reliquit; bene vero ille, cuius Regula Monastica extat in Cod. Regul. Holstenii P. II. Lapsus item in Ferreolo, quem Martyrem adpellat; quamvis enim plures Ferreolos Martyres censeat Ecclesia, sermonem tamen hic esse de Ferreolo Ep. Uctiense, qui Sec. VI. pariter Regulam Monast. in Holstenii Cod. cit. editam scripsit, manifestum est. Haftenus indicata jam excipit tertia Praefatio inscripta: In nomine dei sanctorum. Incipit praefatio operis subsequens. Atque hic IV. Librorum suorum Οικονομιαν exponit: Primus denique de uita et*

*predicatione. ac discretione. nec non et sollicitudine sacerdotis enarrando breuitatis studio percurrit. Capp. 19. Secundus de modis penitentiae leuioribusque delictis ac satisfactione eorum. Capp. 55. Tercius de mortalibus peccatis eorumque penitencia ac satisfactione. Nec non et de octo principalium uiciorum origine. et uexatione. ac curatione eorum eloquitur. Capp. 81. Quartus de diuersis peccatis ac criminibus eorumque iudiciis ac satisfactionibus ex sacrorum canonum orthodoxorumque patrum institutis terminatur. Capp. 382. Horum Elenchus quemvis Librum praecedat una cum Praefatiuncula, e qua tamen ad Autoris vel Operis historiam discas nihil, nisi, quod ante L. 3. studiosissimum Patrem, ante L. 4. carissimum Rectorem aliquem adpellet. Libri III. priores tantum Sententiis PP. constant, Parte eorum Ascetica e Cassiano maxime deprompta. In L. IV. Epistolae Pontificum, et Conciliorum Decreta regnant. Fontes in marginibus aut ipsis titulis Capp. citantur; in Conciliis tamen non additur numerus, sed simpliciter legis: Conc. Nic. Afr. Tolet. Arel. &c. Ultimus est Canon: De ecclesie mortuis. Ex concilio cartaginensi. Mortuos ecclesie penitentes ferant et sepehant. Post hunc redit ad Εγροδιωκτην suum Autor: Ecce haec sunt pauca ex multis sanctorum scripturarum edictis deo fauente succintim breuiterque excerpta — obsecro beatitudinem uestram ut mercedem orationum uestrarum mihi*

*bi reddere procuretis. Opto uos semper ualere in domino. Cum Beda omnium hujus Deflorationis Autorum sit recentissimus; Reginonis autem, Burchardi, Gratiani &c. nulla fiat mentio, Defloratoris aetas in Seculum IX. aut X. cadere videtur. Monachum fuisse, cum Fructuosi, Ferreoli, Columbani citatae Regulae suadent, tum etiam fol. 112. S. Benedictus adductus: Oratorium hoc sit, quod dicitur. Nec ibi quicquam aliud generatur (geratur?) aut condatur. E collatione Centonum ejus cum ipsis Autorum Operibus fortasse lectiones quaedam sinceriores elici queant.*

CCCII. VII F 14

435 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 258. 4. non una manu, sat nitide tamen exaratus et rubro distinctus complectitur: I. *Sententias PP. de Incarnatione Domini* digestas in *Capita CLXXIX.* quorum Elenchus demum habetur fol. 256. p. 2. Prologus Operis incipit: *Norunt plerique rerum perditarum uel occultarum scrutatores quid requirant. ubi uero quesita reperiant. nisi aliorum indiciis adiuuentur plures ignorant &c.* Ait porro Collector, se ante annos aliquot *Li-*

*bellum Manualem* condidisse, quarum *Sententiarum* solummodo *Adnotationes* continebantur, uerum deprehendisse, eum nequaquam sufficere. *Dicebam ergo apud memetipsum. Si ego in monasterio ubi tanta librorum est copia positus. uix tamen interdum ea que ipse annotaui dispersis ubique uoluminibus reperio. quid ergo aliis qui magnam huius opulentiae patiuntur penuriam. ista annotationum prodesse poterunt indicia.* Itaque ipsa PP. *Loca* conscripisse. Titulus: *Incipit liber de incarnatione domini. ex diuersorum patrum scriptis defloratus.* Initium: *In tantum Sacrosancta ecclesia iuxta edictum apostoli obsecrationes. postulationes. gratiarum actiones pro omnibus agit &c.* Deprompta sunt haec e *Ruperto Tuit.* quem *Bernardus, Hugo, Gregorius M., Augustinus,* alii excipiunt. Quoniam uero sub finem *Prologi* legas: *De Circumcisione quoque et epyphania quecunque reperire potuero. his consequenter adiungere curabo; fol. 210.* promissis suis stetit Florilegus; inter utramque tamen *Traetationem fol. 222.* occurrit scripta manu Sec. XIV. *Versio Teutonica* quarundam *Stropharum* ex *Hymnis eccl.* selectarum, puta: *Jesu nostra redemptio.*

Got vater Herre ihesu christ.

Gedench daz du vnser loser pist.

Du pist auch vnser minne.

Wier (be) gern dein auch von sinne.

Schepher aller dinge.